

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4663

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1433

P O L E M I C I .

1434

CCCLXXVI.

877 Codex chartaceus lat. Sec. XVII. Folior. 11. f. inscribitur: *Epitome Totius Alcorani, Legis Sarracenorum. Orationes Arabum.* Carptim delibantur Indicis in morem Notabilia quaedam maxime Moralia, idque ordine Surarum, hujusmodi initio: *In Deo iram et misericordiam ponunt. Quod in se ipso Verum est, solis puris, quale est, uidetur. Quos Deus obdurauit, nemo molliet aut instruet.* Qui ore non opere virtutem laudant, se ipsos decipiunt, nihil aliud nisi detrimentum anime suæ curantes. &c. Abrumpitur Codex in Sura XVII.

CCCLXXVII.

525 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 345. 4. probe scriptus, rubricisque distinctus continet: I. *Tra&tatum de predicacione crucis contra Sarracenos*, qui, ut e Cod. CCCLVI. repeto, pertinet ad *Humbertum de Romanis* O. P. Magistrum Generalem. At non parva inter utrumque Exemplum differentia, dum unum altero jam uberioris, jam succinetiis est. Atque ut de praesenti dicam, incipit illud: *Ad domini nostri saluatoris ihesu christi gloriam et honorem et sancte matris ecclesie utilitatem ac fidei orthodoxe dilatacionem ea que infra scripta sunt de predicacione crucis contra Sarracenos &c. et mox omis- sis, quae Cod. CCCLVI. subjunguntur, monitis, Conspectum ex-*

hibet *Capitum VIII.* qui ibi non habetur. Est vero infidus hic Conspectus; *Caput enim VIII. de Thematis ad predicandum de cruce accipienda*, in decursu Operis non comparet. Absunt etiam Capita illa V. quae in *Cod. cit.* finem totius Operis constituunt. Ut adeo Exemplum illud praesenti anteferendum censeam. Caussam differentiae Autor ipse prae- buisse videtur, dum in Ingressu de Praedicatoribus ita scripsit: *Qui vero ad hujusmodi predicationem magis sunt ydonei, occasione sibi data plura addere possunt et meliora. Alij vero qui in predicatione gratiam habent excellentem ex materia eis rudi proposita tanquam prudentes artifices producant opus pulchrius et magis formatum.* Hac itaque venia usos fuisse quosdam, non est incredibile.

II. fol. 29. p. 2. Reuerendo magistro Nicolao Tynkelspitche Sacre pagine professori Branda (Castellioneus Mediol.) miseratione diuina tituli sancti Clementis Sancte Romane ecclesie presbyter Cardinalis Placentinus uulgari- ter nuncupatus Sedis apostolice legatus Salutem in domino sempiternam. Celebrem hunc Cardinalem, cuius vitam enarrat Alph. Ciaconius T. II. col. 801. cum Bulla Crucifera contra Wiclefistas in Germaniam ablegarat Martini V. Adpulsus ille has ad Theologum nostrum Viennensem dedit literas. Earum initium: *Ex debito legacionis per sedem apostolicam nobis iniuncte cum ubilibet adesse nequeamus vobis tenorem in- fra scriptorum*

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4663

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1435

C O D I C E S

1436

frascriptorum transmittimus, iuxta quem verbum crucis contra Wiclefistas predictis super quibus nos uos deputamus. Sequuntur igitur variae Peccatorum veniae iis indulgenda, qui ad Sermones audiendos confluunt, qui Crucem vel ipfi suscipiunt, vel aliqua ratione conferunt, ut ab aliis suscipiantur, Modus cruce signandum Precibus dicendis, Facultates Praedicatorum a noxis absolvendi cum formulis &c. paene ut in *Institutionibus Henrici de Beaufort Card. Anglici*, quas in *Append. ad Fascic. Rer. expetend.* &c. edidit *Edw. Brownius Lond.* 1690. p. 626. f. Datae sunt nostrae Colonie Anno domini Mille-simo Quadringentesimo vicesimo primo Indictione quartadecima pontificatus sanissimi in christo patris et domini domini Martini diuina prouidencia pape quinti Anno quarto. Die uero Jouis quinto mensis Junij. Delegationis hujus Nicolao nostro certe honorificae nulla apud *Oudinum*, *Fabricium*, *Kropfum* in *Bibl. Mellic.* et in *Scriptt. Univ. Vien.* mentio. Quo vero omnes hi conatus recedint, satis docet temporum Historia.

III. fol. 35. *Historia de sancta cruce quomodo fuit inventa.* Hanc quoque in usum Praedicatorum Crucis congestam fuisse et quae antececessere, et quae sequentur, suadent. Congesta vero est ex *Evangelio Nicodemi*, *Legenda Silvestri Papae*, *Historia tripartita*, *Gregorio Turon. Johanne Beleth Scriptore Sec. XII.* et praef-

cipue e fabulatore Graeco, cuius *Scripta de Inventione Crucis Dominicæ* jam Sec. V. *Gelasius Papa* inter apocrypha retulit, et *Bollandiani T. I. Maji* ad diem 4. p. 445. latine edidere. Ejus initium: *Constantinus fuit vir Romanus nobilis quidem genere et potens sed moribus et prudentia longe nobilior qui Claudi imperatoris nepos fuit ex filia &c.* Definit in fabellam de *Notario*, qui, quod Christum coram Throno Satanae negare noluisset, ab illius Icone benigne respectus dicitur.

IV. fol. 43. p. 2. *Sermones III. ad Cruce Signatos*, quorum priores duo in illud *Apoc. 7. Uidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis habentem signum dei viui*, i. e. Crucem, tercius vero perperam inscriptus: *Epistola de invencione S. Crucis*, in illud *Galat. 5. Confido de uobis in domino ihesu.* Atque hic mihi suboritur suspicio, *Sermones* hos et *Historiam* praecedentem fortasse confidere *Caput VIII. Tractatus N. I. indicati*, quod ibi deesse adnotavi.

V. fol. 57. *Sermones LXX.* partim in *Epistolas et Evangelia Dominicarum*, partim in festos SS. dies, parum servato temporis ordine. Primus est *Dominica sexta* (infra Octav. Ascens.) post *Pascha* in *Epistolam I. Pet. 4. Estote prudentes &c.* et incipit: *Legitur Actuum I. Quod apostoli post domini ascensionem erant perseverantes &c.* Ultimus *Dominiqua quarta post pascha*, hujus initii:

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4663

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1437

P O L E M I C I .

1438

tii: *Omne datum &c. Jac. 1. dicit beatus Gregorius, omnis christi actio nostra est instructio &c.*
Aetas horum Sermonum aliquantum innotescit e Serm. de Corporre Christi, in quo fol. 71. legas: Et notanter Apostolus dicit: Ego enim accepi a domino et non a pseudopropheta nec a dyabolo nec a suis membris hereticis sicut fecerunt maledicti heretici busse volentes et predicantes non solum sacerdotes sed et populum communem layalem viros et mulieres communicari sub dupli specie &c.
Autorem vero adsignare difficile est; nam, qui nomen suum Indiculo ad calcem Codicis subjecit, Ulricus Strobel de hercog- pirpawm, Librarius potius fuisse videtur.

CCCLXXVIII.

898 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 258. 4. per duas columnas descriptus et rubricis enotatus, pertinensque olim, ut in ora infima primi folii legitur, ad Civitatem Lymburg, Germanis Nimbburg in Prov. Boleslaviensi Bohemiae, juxta praemissum adcuratum Indicem, continet sequentia Job. Wiclefi, qui, ut solet, post tabulam latet, Opuscula: I. *Incipit tractatus de Officio pastorali.* Initium: *Cum duplex debet esse officium christiani &c.* Ne Lectores perpetuis ab uno Codice ad alterum remissionibus fatigem, ad primum hunc Scriptorum Wiclefianorum Codicem monuisse sufficiat: Scripta ea

omnia in *Indice diligenter sub unum conspectum esse posita, quo recurret, cuius intererit.*

II. fol. 22. p. 2. *Incipit de vatisinatione.* Initium: *Cum secundum sanos spehat ad officium doctoris evangelici &c. ut alibi.*

III. fol. 25. *De triplici vinculo amoris.* Initium: *Tria sunt vincula amoris &c. ut alibi.*

IV. fol. 33. *Incipit de nouis Ordinibus.* Initium: *Secundum apostolum ad ephe. 6. non est nobis colluctatio &c. An Opusculum, quod Baleus inscribit De origine Sectarum? Constat 3. Capitibus.*

V. fol. 36. *De Detectione perfidiarum antichristi.* Initium: *Paulus docet ad ephe. 4. quomodo christi ecclesia debeat diligere unitatem &c. ut alibi.*

VI. fol. eod. p. 2. *De gradibus cleri ecclesie.* Initium: *Quidam secularis probus zelator veritatis &c. ut alibi.*

VII. fol. 37. p. 2. *De demonio meridiano.* Initium: *Frons metrericis facta est populo &c. ut alibi.*

VIII. fol. 39. p. 2. *De concordacione fratrum cum sepha simpli ci christi.* Initium: *Cum Cristus sit primus et nouissimus &c. ut Cod. CCCIV. ubi inscribitur de Sedis Monachorum.*

IX. fol. 43. p. 2. *De ordine christiano.* Initium: *Ad declarandum veritatem fidei et omnem errorem perfidie &c. ut alibi.*

X. fol. 47. *Incipit Tractatus de Eukaristia et penitentia Et secundum alios de Confessione.* Initium: